

## 11 Sensus<sup>41</sup>

1 Gradus: intersubiectivus, symbolicus, artisticus, linguisticus.<sup>42</sup>

(a) *Sensus intersubiectivus.*

Intersubiectivitas: quo unum sumus – quasi daretur gradus conscientiae quae distinctionem inter ‘ego’ et ‘tu’ antecedit; sicut manus mea sponte ad caput meum protegendum movetur, ita etiam ad alios adiuvandos, protegendos, movetur.<sup>43</sup>

Sensus intersubiectivus perspicitur in vultu, motibus oculorum, labiorum, musculturum facialium, capitis, digitorum, manuum, brachiorum, corporis, pedum. Evolvitur in saltationibus, ritibus, caeremoniis, salutationibus.

Exemplo sit surrisus (smile).

(a') Habet sensum; non est tantummodo motus labiorum, oculorum; quia habet sensum, non plateas circuimus omnibus arridentes; male intelligeremur; qui sensus ad motus faciales comparatur sicut forma ad materiam.

(b') Unde surrisus facilime apprehenditur. Apprehensio non est functio undularum luminis, soni, quae nos afficiunt; est activa quaedam selectio ut, ex omnibus sonis platearum, vocem socii seligimus ut ea fere sola audiatur – quod fieri potest praecise quia sensum habet illa vox; si sine sensu loqueretur, non magis eum audiremus quam caetera. Apprehensio surrisus non est conclusio ex motibus facialibus deducta; si tales et tales sunt motus, habetur surrisus; atqui … ergo … Habetur intelligentia in ipsis sensibilibus; intelligentia incarnata alteri incarnatae intelligentiae sese manifestat.

(c') Sensus in surrisu contentus est naturalis, spontaneus. Addiscimus ambulare, loqui, natare; sed arridere non addiscimus; imo, surrisus authenticus fit sine advertentia, sine intentione praevia. Sensus subridendi non addiscitur, sicut sensus vocabulorum; unusquisque quasi ipse primus sensum subridendi invenit. Sensus subridendi in alium

non reducitur, per alium non elucidatur; iacet intra campum intentionalitatis, constituitur tamen per intentionalitatem non conceptualem sed incarnatae intelligentiae.

(d') Comparantur sensus intersubiectivus et sensus conceptualis.

Conceptualis univocitatem vult; surrisus multa et diversa exprimit, agnitionem, welcome, amicitiam, amorem, gaudium, delectationem, satisfactionem, pacem, irrisio, ironiam, resignationem, defatigationem, tristitiam; risus sardonus, aenigmaticus.

Conceptualis potest esse non solum verax vel mendax sed etiam verus vel falsus; surrisus potest esse verax vel mendax, non autem verus aut falsus; sensus in surrisu contextus est sensus potius rei, facti, personae, quam sensus verbi.

Conceptualis sese distinguit: concipimus distincte quae sentimus, desideramus, timemus, cogitamus, cognoscimus, volumus, iubemus, intendimus. Sensus intersubiectivus est indifferentiatus, est sensus personae in habitudine ad aliam personam.

Conceptualis est de rebus, obiectivus; intersubiectivus situationem supponit (occurrere, adesse, habitudines praevias), situationem interpersonalem agnoscit, confitetur, situationem determinat, est elementum quasi constitutivum situationis interpersonalis actualis, subiectum potius trahit quam describit, subiectum revelat: non fit deductio ex surrisu in statum animae, sed ipsa persona fit transparens, sese manifestat; pertinet ad gradum communicationis quae antecedit distinctionem inter signum et significatum, corpus et animam.

(b) Sensus aestheticus.<sup>44</sup>

Art: obiectification of a purely experiential pattern. Ars obiectificat schema experiendi purum. Schema abstractum: uti in foliis musicis; indentationes in disco gramophonico. Schema concretum: uti in ipsis percipiendi actibus, in motibus corporis, in sonis audiendis, in coloribus videndis, etc.

Schema experiendi: experientia non est chaos quod per omnia et quaelibet obiecta externa in nobis producitur, sed est selectio atque organizatio quae facit differentiam inter ea quibus attendimus et alia, pariter praesentia, quae praetermittimus.

Unde facile melodiam, minime strepitum urbis, repetimus; facile versus addiscimus; facile superficiem decoratam videmus. Sicut arbor e trunco per ramos ad folia modo organico extenditur atque unitur, ita decoratio e minoribus variationibus per complexitatem crescentem ad unum totum organizatum maximeque perceptibile pervenit.

Schema experiendi purum: aliud est experiri, et aliud est experientia uti in ordine ad fines ulteriores. Sensus fieri possunt quasi apparatus quo subiecta ad uniformitatem reducta in mundo mechanizato agunt: automatic behaviour of a ready-made subject in a ready-made world. Sensus fieri possunt instrumenta intelligentiae scientificae, quae statim pergit ad momentum expertorum relate ad theoriam. Sensus e nativa sua operatione detrudi possunt per theorias physicas, physiologicas, epistemologicas, utilitarianas.

Schema experiendi purum est operatio sensitiva secundum proprias leges in proprias suos fines; accedunt associationes naturales ipsa vita selectae, emotiones et affectus ipsi rei visae qua visibili, ipsis sonis qua audibilibus, convenientes; est vita sensitiva in propria sua aperitudine, caeteris omissis quae hanc vitam ad meram instrumentalitatem reducunt.

Quod schema purum, ab aliis curis liberatum, sua spontaneitate, vitalitate, sese extendit, evolvit, organizat, finalitatem suam attingit. Ita rhythmus habetur ubi prior quique motus subsequentem necessitat (exspirare, inspirare); construuntur tensiones ut resolvantur.

Sensus huius schematis est elementaris, non denotativus, sed immanens; est sensus vitae. Sicut tamen est liberatio sensus ab instrumentalizatione, ita etiam est quasi transformatio mundi: unde aestheticum habetur vel ut illusorium vel ut magis reale quam

quae vulgo realitas habetur; revelatur mundus alius, diversus, inusitatus, mirus, novus, remotus et tamen intimus.

Sicut transformatur mundus, ita transformatur subiectum; desinit automaton bene adaptatum ad omnes usus vitae quotidiana; oritur subiectum emergens, ex-sistens, mirans, originale, originans.<sup>45</sup>

Quod schema experiendi purum obiectificatur. De se experitur, sed tantummodo experitur; est intra subiectum conscientia, sed sine obiectificatione manet quodammodo implicitum, velatum, absconditum; ut revelatur, inspiciatur, repetatur, fruitione detur, transponitur ex parte subiecti ad partem obiecti. Quae obiectificatio abstrahit ab experientia actuali, ea seligit quae maioris momenti videntur, quae clarius sensum vitae manifestant; abstrahitur forma, non tamen concipiendo, sed faciendo.

(c) Sensus symbolicus; Newman: Cor ad cor lquitur; Pascal: le coeur a ses raisons qui la raison ne connaît pas.<sup>46</sup>

Sensus symbolicus ipsis affectibus inest; sed affectibus *et* ipsi disponimur, orientamur, dirigimur *et* erga mundum, vitam, personas, res nos habemus.

Symbolum ergo est imago (1) quae affectum vel inducit vel exprimit et (2) qualiter sit subiectum in quali mundo revelat.

Affectum inducit: sicut obiectum reale, ita etiam imago eius affectum quandam excitat, et quidem vel modo opinato (times sed habes quod timendum est) vel modo inopinato (parvuli tenebras timent quia mundus visibilis disparet sed mundus audibilis manet quin obiecta videri et identificari possint). Affectum exprimit: imago sponte formata manifestat statum subiecti affectivum (dispositiones, habitus, capacitates, indigentias, nisus, finalitatem). Subiectum suumque mundum revelat: unde in symbolis sensus profundior esse potest (omnia Deum appetunt), sicut etiam eorum sensus graviores perturbationes et aberrationes indicare potest.

In unoquoque est vita affectiva, in tali stadio suaevitae evolutionis seu maturationis, nunc cum minoribus nunc cum maioribus defectibus. Manifestationes vitae affectivae examinantur clinice (Freud, etc.), vel anthropologice,<sup>47</sup> vel studiis litterariis, mysticis, etc. Revelatur influxus affectivus in usu linguistico ubi universale, classis, locum cedit figurae repraesentativae, ubi univocitas locum cedit pluribus simul sensibus, ubi probatio locum cedit repetitionibus, variationibus, etc., eiusdem, ubi principium tertii exclusi locum cedit superdeterminationi quae opposita coniungit, ubi negatio locum cedit nisui superandi, obruendi, suppressendi, ubi unicum thema locum cedit condensationi quae multa simul themata evolvit.<sup>48</sup>

Negatio<sup>49</sup> per positionem oppositorum eorumque ablationem: ita Swinburne, ‘The Garden of Proserpine’:

Then star nor sun shall waken,

Nor any change of light:

Nor sound of waters shaken,

Nor any sound or sight:

Nor wintry leaves nor vernal;

Nor days nor things diurnal;

Only the sleep eternal

In an eternal night.<sup>50</sup>

Condensatio diversorum thematum:

And Pity, like a naked newborn babe,

Striding the blast, or Heaven’s Cherubin, hors’d

Upon the sightless couriers of the air,

Shall blow the horrid deed in every eye

That tears shall drown the wind.<sup>51</sup>

(d) Sensus linguisticus (Helen Keller).

Sensus liberatur a limitationibus partis materialis: sensus intersubiectivus non habetur nisi in situatione interpersonali; sensus aestheticus non habetur nisi in vivente; sensus symbolicus non habetur nisi in affectibus; sed sensus linguisticus sibi assumit substratum conventionale quod indefinite evolvi, adaptari, perfici potest. Linguae pedetentim fiunt instrumenta intellectus.

De evolutione linguarum, E. Cassirer, *Philosophie der symbolischen Formen*, vol. 1.<sup>52</sup> Non parvi momenti est intelligere quam lente linguae evolutae sint a primitiva particularitate, concretione, incapacitate generalitatis, ad formas recentiores.

(e) Opus hermeneuticum et theologicum, quod in transcendentia veri fundatur, quam accuratissime distinguere debet inter diversos gradus seu fontes unde sensus loci invenitur. E.g., quid apud S. Paulum sit ‘corpus Christi’; quanti momenti sit sensus intersubiectivus, symbolicus, aestheticus; quo usque hi sensus in modum loquendi, in id ipsum quod dicitur, influant.<sup>53</sup>

(f) Reditus e systemate theologico ad praedicandum reassumere debet modos significandi concretos, intersubiectivum, aestheticum, symbolicum.

## 2 Momentum sensus

(a) Sensus, esse intentionale, est quasi substantia evolutionis individualis. Si omnis aufertur sensus, vel ad statum parvolorum vel amentium reducimur. Docuit Nietzsche Deum esse mortuum, scilicet, in saec. XIX disparebat omnis sensus vitae humanae qui in fide Christiana vel in philosophia deistica fundatus erat. Nihilistae sunt qui nullum sensum in metaphysica, in ethica, in vita humana practica, aesthetica, speculativa inveniunt. Tristes confitentur ‘omnia permitti.’

(b) Obiectificatio sensus est conditio possibilitatis evolutionis. In quantum sensus ex parte obiecti sistitur, inspici potest, inter elementa meliora et peiora distingui potest, quid auferendum et quid addendum perspici potest. Non omnis obiectificatio quasi in eodem plano est sed ex alio in aliud et superius pedetentim ascenditur. Scilicet, in

unoquoque gradu sunt quae monstrari sed non dici possunt (Wittgenstein); e.g., exemplum contradictionis risum excitat; sed ut sermo fiat de contradictione ipsa, ad planum logicum ascendendum est. Eo maxime perfici possumus quod ipsi nos cognoscimus. Sed nos cognoscimus per obiectificationem eorum quae in nobis procedunt; et prout obiectificationes ascendunt ex alio in aliud planum, fiunt media quibus cognoscimus non solum corpus sed psyche, sed intelligentiam, sed voluntatem, sed modum existendi.<sup>54</sup>

(c) Sensus est conditio possibilitatis tum communicationis tum cooperationis humanae.

(d) Sensus pertinet ad ipsam constitutionem institutorum. Sine sensu non haberentur vel familia proprie dicta vel societas, moralitas vel educatio, status vel ius, oeconomia vel technologia.

(e) Sensus denique pertinet ad ipsam constitutionem omnis linguae, literaturae, operis artis, symboli, scientiae, philosophiae, historiae, religionis.

### 3 Sensus et Historia

(a) Circa ipsum evolventem contextum, alibi ubi de historia.

(b) Evolutio sensus termini technici, e.g., persona. In analysi litteraria graeca explicabatur Homerum tali loco in propria persona loqui, tali alio loco in persona Diomedis, etc. In exegesi psalmorum Origenes saepe difficile duxit determinare in quanam persona (sua? Dei? hominis iniqui?) locutus esset psalmista. In contextu trinitario Hippolytus agnovit duas personas et tertiam gratiam Spiritus sancti. Tertullianus tres posuit personas. In symbolo dicitur ‘qui locutus est per prophetas.’ An persona est qui loquitur? Augustinus definivit personam heuristice. Pater, Filius, et Spiritus sanctus sunt tres. Non tamen tres sunt dei, tres patres, tres filii, tres spiritus. Quid tres? Dicimus personas ut respondere possimus. Boethius, Richardus a S. Victore, Aquinas personam definiverunt. Scotus, Capreolus, Caietanus, Tiphanus, Suarezius theorias ontologicas de

constitutione personae voluerunt. Postea, persona investigata est sub aspectu psychologico (conscientiae) et sub aspectu phaenomenologico (ego et tu).

(c) Covariatio sensus et rei. Ubi res per sensum vel totaliter vel partialiter constituitur, evolutio sensus etiam est evolutio rei. Si evolvitur sensus terminorum, evolvitur ipsa scientia. Si evolvitur notio status, notio iuris, notio matrimonii, non tantum theoretice in libris politicis, iuridicis, ethicis, sed etiam secundum apprehensionem sensus communis, tunc non solum mutantur opiniones privatae sed etiam realitates obiectivae. Ita aetas moderna novum mundum, novum hominem, efformavit, quia pedetentim novae opiniones de institutis sunt disseminatae, evolutae, acceptae, applicatae.

(d) Unde concludes: genus humanum ad Deum convertere est novos sensus hominibus communicare; unde momentum verbi Dei revelati, traditi, conservati, ad diversos contextus transpositi, semperque praedicati et omnibus adjunctis applicati. Etiam concludes: aliud evangelium evangelizare praeterquam evangelizatum est, novam ecclesiam introducit; haereses.

#### 4 Sensus et Interioritas

(a) Sponte opinamus sensum potius in exterioritate quam in interioritate inveniri. Quid ‘album,’ ‘paries,’ ‘aedificium,’ etc. Brevisse respondeatur, Ecco! Quo tamen praetermittitur cooperatio intelligentiae et iudicii. Si modo stupido agam, supponam te velle dicere ‘parietem’ significare colorem, ‘album’ significare partem aedificii.

(b) Res in clariori luce sistitur ubi interpretatio libri fit. Ibi ex parte exteriori non habentur nisi signa conventionalia tali et tali ordine disposita. Quidquid in interpretatione dicitur praeter repetitionem eorundem signorum eodem ordine dispositorum, ex experientiis, memoriis, actibus intelligendi et concipiendi, reflectendi et iudicandi, ipsis interpretis proveniunt.

(c) Si distinguuntur sensus derivati et sensus primitivi (quibus derivati exponi possunt), si ad primitivos unice attenditur, equidem dicerem unumquemque eo melius,

pleniū, exactius, sensus possibiles cognoscere quo melius, exactius, pleniū ad propriam interioritatem attendit. Secundum I, 88, 2, 3m: ‘anima humana intelligit se ipsam per suum intelligere, quod est actus proprius eius, perfecte demonstrans virtutem eius et naturam.’<sup>55</sup> Sed sicut actus interior intelligendi demonstrat naturam et virtutem animae, ita etiam demonstrat ea quae virtute animae fiunt.

(d) Sunt denique termini quibus sensus fundamentalis non est nisi sensus qui in interioritate apprehenditur. Quid vita? In primis cognoscitur quatenus conscientie et crescente conscientia vivimus. Quid amor, being-in-love?<sup>56</sup> Includit actus voluntatis qui amorem confirmare vel pedetentim destruere possunt. Sed actus voluntatis se habent ad amorem, fere sicut gubernaculum ad navim. Aquinas enumerat effectus amoris, ubi amor intelligitur passio quaedam animae.<sup>57</sup> At eiusmodi thematizatio et analysis non supponuntur, ubi secundum usum communem de amore fit sermo; sed potius ipse amor expertos suos effectus includit et per eos quasi constituitur. Quid religio? Sicut amor est experta, intellecta, agnita, electa unio unde amicus fit dimidium animae meae, ita religio est alia quaedam experta, intellecta, agnita, electa unio et quasi communio cum toto cosmicō, cum eiusdem elemento vel parte prima, principali, finali. Quid praesentia Dei? An Deus sistitur ex parte obiecti ut imaginibus vel categoriis conceptualibus apprehendatur? An potius ‘Qui *habitat* in adiutorio Altissimi, in protectione Dei caeli commorabitur,’ ‘Dominus regit me et nihil mihi deerit,’ etc.<sup>58</sup>